

entis, et de perfectionibus naturalibus, et supernaturalibus, ut de vita, intellectu, et voluntate, de scientia, de lumine gloriæ, de beatitudine, de charitate, justitia, misericordia, etc. et denique de omni perfectione, quæ dicitur simpliciter simplex, quæ formaliter potest esse in humanitate secundum esse creatum, et in persona secundum esse increatum. Idem est de potestate judiciaria, de dominio, de legumlatore; ergo idem erit de filiatione, quod in quantum Deus erit talis per essentiam, et in quantum homo erit per participationem, et sic filius naturalis, et adoptivus.

XXXI. Confirmatur primo: Sanctitas per essentiam convenit humanitati ratione Verbi, quia sanctificatur substantialiter a sanctitate increata, et per essentiam, quidquid sit de opinionibus, sub qua formalitate sanctitas sanctificat (de quo in materia de gratia Christi) et eadem humanitas sanctificatur per participationem, scilicet, gratia habituali quæ est participatio divinitatis: ergo etiam in eadem humanitate potest esse sanctitas per essentiam, et sanctitas per participationem, quod est contra rationem D. Thomæ.

XXXII. Confirmatur secundo: Verbum divinum est genitum, et natum generatione, et nativitate æterna, quæ est per essentiam talis, et idem Verbum est genitum, et natum ex Virgine temporaliter, et hæc generatio est participatio illius; ergo bene potest id, quod est tale per essentiam esse tale per participationem.

XXXIII. Respondetur ad hoc argumentum a principio, quod omnia illa relata distincta per essentiam, et participationem conveniunt Christo secundum diversum extremum, scilicet ratione divinitatis, vel ratione humanitatis, et sic non falsificatur quod id, quod est tale per

essentiam non potest esse tale per participationem, quia Persona divina, quæ est ens per essentiam, et ens increatum, non est ens creatum, sed quædam entitas illi conjuncta est ens creatum; et non implicat quod id, quod est tale per essentiam adunetur, vel jungatur cum alio, quod est tale per participationem, quia conjungi, vel uniri illi non est esse illud. Et idem est de omnibus exemplis ibi allatis, quia perfectiones participatæ sunt in humanitate, et per essentiam in Persona divina, et divina Persona est distincta entitas ab humanitate, quamvis in concreto ratione suppositi Deus sit homo, et homo Deus; entitas tamen suppositi, non est entitas humanitatis.

XXXIV. Ad primam confirmationem concedo, quod humanitas est sancta sanctitate per essentiam sibi unita, tamen humanitas non est sancta per essentiam; aliud est, quod sit sancta sanctitate per essentiam; aliud quod sit sancta per essentiam, quia primo modo non identificat, sed unit; in secundo modo identificat, et in hoc secundo modo excluditur sanctitas participata, sicut natura divina, seu Verbum non potest esse sanctum per gratiam. Quod vero sanctitas participata, et per essentiam conjungantur in aliqua entitate non implicat, ut dicebamus de aliis exemplis.

XXXV. Ad secundam confirmationem respondetur, quod respectu diversorum bene potest habere unum prædicatum per essentiam, et aliud per participationem, verbi gratia, Petrus filius naturalis Joannis potest adoptari in filium a Francisco, et simul est filius naturalis Joannis, et filius adoptivus Francisci, et hoc non implicat. Et hoc modo etiam Christus posset esse Filius Dei naturalis, et adoptivus alterius hominis ex vi hujus rationis formaliter, hoc

est, si hoc, quod est esse Filium naturalem Dei, non involveret, nisi jus ad solam gloriam, quia tamen involvitur jus ad bona temporalia, ex hoc capite non potest adoptari proprie ab homine, quia habet jus naturale, ut ad argumentum præcedens dicebamus; eodem modo quia esse genitum, vel natum a matre temporaliter, est respectu diversi parentis, quam pater cujus est filius naturalis ab æterno, ideo potest verificari; non tamen potest esse, quod ab eodem patre sit genitus temporaliter per generationem, et filiationem, etiam participatam, sed per eam, per quam per essentiam ab æterno est Filius, per quam in tempore potest dici: *Ego hodie genui te*, non per aliam: in quo deficit Vazquez capite XII.

XXVI. Sexto, arguitur contra illud principium, quod filiatio est proprietas personalis. Probatur quod est falsum; tum, quia filiatio est relatio fundata in generatione; sed generatio non est proprietas personalis, quia convenit naturæ saltem ut quo; ergo etiam filiatio non est proprietas personalis; sed convenit naturæ saltem ut quo: ergo sicut alia prædicata prædicantur de Christo, quia conveniunt humanitati ut quo, etiam esse filium adoptivum ratione humanitatis prædicabitur de Christo, quamvis persona secundum se sit filius naturalis. Consequentia patet, quia ubi est fundamentum est relatio, et non est ratio aliqua quare esse genitum, vel natum non sit proprietas personalis, et filiatio sit propria personæ.

XXVII. Tum, quia relatio geniti, et filii est eadem; sed relatio geniti est in natura; ergo relatio filii saltem ut quo. Consequentia est bona: major probatur, quia alias in divinis essent plusquam quatuor relationes reales; minor probatur ex D. Thoma in III, distinct. VIII, quæst. I, art. V

ad primum, ubi dicit: « Quod nativitas temporalis, sive generatio passiva Christi est quædam relatio, quæ secundum rem fundatur in humana natura, et ex hoc nominatur natum, sicut et homo. »

XXVIII. Confirmatur: Dato quod esset filiatio proprietas personalis posset convenire supposito Christi, quia illi convenit esse Filium naturalem Virginis, et filiatio est in Persona Christi, quamvis non sit realis, sed rationis ad matrem, quia persona non est capax accidentis realis, tamen si esset capax, posset relationem realem recipere in tempore, quamvis esse Filius naturaliter ab æterno: ergo ex hoc principio non salvatur ratio D. Thomæ, scilicet, quia filiatio est proprietas personalis, et quia id, quod est tale per se, non potest esse tale per participationem, quia si esset capax, esset etiam filius per participationem; ergo recurrendum est ad aliam rationem, scilicet, incapacitatis propter immutabilitatem, non quia est tale per essentiam.

XXIX. Tum, quia filiatio rationis est talis per participationem, et solum similitudinarie, sicut quodlibet ens rationis, et tamen Persona Christi, qui habet filiationem, per se potest recipere hanc filiationem rationis, quæ est per participationem; ergo deficit ratio D. Thomæ, scilicet, quod est tale per se non potest esse tale per participationem. Ulterius; ergo sicut dicitur Filius Virginis vere, et proprie, potest etiam dici adoptivus vere, et proprie per filiationem rationis. Patet consequentia, quia filiatio adoptiva, aut per se est relatio rationis in omnibus, aut saltem in Christo propter incapacitatem subiecti erit rationis, tamen ejusdem speciei erit filius adoptivus per relationem realem, sive per relationem rationis, quia filiatio adoptiva abstrahit ab hoc, quod sit per relatio-



nem realem, vel rationis, sicut filiatio naturalis abstrahit a relatione reali, vel rationis; in Christo enim est rationis ad matrem, in aliis hominibus est realis ad matrem, et Christus est univoce Filius Virginis naturalis, sicut alii respectu matris: ergo sicut Christus ratione personæ est Filius per se, et ab æterno Patris, et simul Filius per participationem per filiationem rationis ad matrem, ita poterit esse filius adoptivus per filiationem rationis; in hoc est paritas, quidquid sit de relatione maternitatis, si denominat realiter Christum Filium.

XXX. Tum, quia si filiatio esset proprietas non personalis, sed naturæ saltem ratio D. Thomæ non probaret, quia ad hoc ponitur, quod est proprietas personalis ut excludatur a persona; sed adoptio est proprietas naturæ, quamvis non ut filiæ; ergo poterit esse adoptata natura. Patet consequentia: Sicut aliæ proprietates, quæ conveniunt naturæ conceduntur per participationem, etiam si ratione personæ habeatur idem per essentiam, eadem ratio erit de adoptione: hoc autem est contra secundam conclusionem articuli præcedentis; ergo.

XXXI. Respondetur ad argumentum a principio, quod non est necesse, quod relatio fundetur in eadem entitate, in qua est fundamentum; sed sufficit, quod sit in subjecto, vel potest dici melius, quod esse genitum per modum entis completi est fundamentum relationis filiationis, et hoc solum convenit personæ, et sic ponitur filiatio cum fundamento. Ratio autem quare esse genitum per modum entis completi est fundamentum relationis filiationis, traditur a D. Thoma in tertio ad Annibaldum, quæstione unica, art. iv ad secundum, ubi inquit: « Dicendum, quod nativitas non est tota causa filiationis, sed

nativitas cum esse completo nascentis, » et in tertio sententiarum, distinct. viii, quæst. i, art. v ad primum inquit: « Subjectum filiationis non potest esse natura cum sit ejus quod habet complementum speciei, ut supra dictum est; » et in eadem quæstione, art. i ad quintum sic habet: « Ad filiationem requiritur plusquam ad nativitatem, vel ortum, scilicet, ut quod exiit per generationem a generante sit completum in specie generantis, et ideo fructus arborum, ova avium, et capilli, et alia hujusmodi, non habent rationem filiationis, quamvis dicantur nasci. » Quod etiam habet ibidem distinctione quinta, in expositione textus. Ecce rationem quare quamvis natura dicatur aliquo modo generata, vel nata, non potest dici filia, et quare filiatio respicit suppositum, quia respicit ens completum in specie generantis, et ideo vermes non sunt filii, et hæc est natura, et essentia filiationis.

XXXII. Ad id quod dicitur de relatione geniti respondetur, quod S. Thomas in eodem loco ex tertio sententiarum expresse distinguit relationem geniti a relatione filiationis, et relationem geniti ponit in natura, filiationis vero in supposito, et ratio est immediate allata, quia filiatio est relatio entis completi, et iii part. quæst. xxxv, art. v ad primum reddit rationem, quare relatio geniti potest subjectari in natura, scilicet: « Quia modo est subjecta nativitati, et quod natura humana nullo modo potest esse subjectum filiationis, quia hæc relatio directe respicit personam, et oportet quod aliquo modo natura humana esset subjectum filiationis, sicut est aliquo modo subjectum nativitatis. Cum enim Æthiops dicitur albus ratione dentis, oportet quod Æthiopsis dens sit albedinis subjectum; » et in corpore dixerat: « Sub-

jectum filiationis non est natura, ut pars naturæ, sed solum persona, vel hypostasis. »

XXXIII. Ad impugnationem respondetur, quod in divinis propter summam identitatem substantialem possunt identificari relatio geniti, et filii realiter. Quod si attenderet Suarez hic sectione secunda non impugnaret rationem D. Thomæ in hoc, quia S. Thomas nunquam negavit aliquam relationem posse subjectari in natura, sed solum relationem filiationis, et quod alia subjectetur non convincit, quod etiam filiatio posset subjectari propter rationem datam.

XXXIV. Ad id quod dicitur de filiatione, quæ est relatio rationis respondetur, quod ut dictum est ad secundam confirmationem argumenti præcedentis, non probat quod qui est filius naturalis unius, non sit filius naturalis, vel adoptivus alterius, sive per filiationem realem, sive per filiationem rationis. In quo deficit suarez sicut deficit Vazquez in nativitate in argumento præcedenti, quia S. Thomas expresse concedit infra tertia parte, quæst. xxxv, art. v, ad primum: « Quod nativitas temporalis causaret in Christo temporalem filiationem realem si esset ibi subjectum hujusmodi filiationis capax. » Et idem est si ab aliquo homine possit adoptari in filium, posset recipere relationem filiationis filii adoptivi, et si esset capax relationem realem. Sed hoc non est contra rationem D. Thomæ, quia procedit respectu ejusdem, ut sæpe dictum est, et non tetigerunt hoc Suarez et Vazquez impugnando illam. Si enim Christus non haberet jus ad bona temporalia, quamvis esset Filius Dei naturalis, et haberet jus ad hæreditatem æternam; quamvis, inquam, esset talis per essentiam, posset esse filius adoptivus alterius hominis, si-

cut est Filius naturalis Virginis, et hoc non impugnat rationem D. Thomæ, quia non est respectu ejusdem. Et ratio hujus est: In humanis filius Petri naturalis potest esse adoptivus Joannis, et illa adoptio non est similitudo hujus filiationis, sed alterius, quæ debetur filio naturali Joannis, quia filiatio est relatio ad talem terminum, et non ad alium, et respectu ejusdem termini negatur utraque filiatio, quia esset simul participata, seu similitudo, et veritas, et propria. Sicut Petrus non potest esse similitudo sui, nec sua pictura, bene tamen potest similis alteri homini esse; ut habet D. Thomas infra quæstione xxxii, articulo tertio.

XXXV. Ad id quod additur, quod filiatio rationis est similitudo relationis realis respondetur, quod hæc similitudo est in prædicato communissimo relationis, et non est inconveniens, quod qui habet unam relationem realem, habeat aliam relationem rationis. Nec ratio D. Thomæ procedit in hoc sensu, sed solum de prædicato specifico, et particulari, ut qui est homo vivus non potest esse homo pictus, et sic qui est filius per naturam non sit filius per voluntatem.

XXXVI. Ad ultimum, quod dicitur si filiatio conveniret humanitati respondetur, quod si conveniret sicut convenit relatio geniti, ut dictum est, posset per illam referri ad Virginem, eo modo, quo natura refertur per relationem geniti, hoc est, ut subjectum quo, tamen respectu Dei Patris, non posset recipere filiationem adoptivam natura, neque adoptionem sine filiatione, quia ut diximus articulo præcedenti, conclusionem secundam, eo ipso, quod per unionem trahitur ad esse naturale Filii Dei, est incapax adoptionis respectu Dei, quia si jure naturæ ex vi unio-



nis debetur illi gloria, non potest deberi jure adoptionis, et ex libera voluntate.

XXXVII. Si objicias verba Apostoli ad Colossenses primo: *Transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ*, ubi Christus dicitur Filius dilectionis, et voluntatis

XXXVIII. Respondetur, quod Apostolus non loquitur comparative ad incarnationem, ut in præsentem loquimur, sed respectu generationis æternæ. Sic S. Thomas in commentario ibidem: « Filii dilectionis suæ dicitur, id est, Filii sui dilecti, vel Filii essentiæ suæ, id est, habens essentiam suam quasi materialiter, sicut dicitur aliquis egregiæ formæ, id est, habens egregiam formam, et sic est vera Joannis tertio: Pater diligit Filium. » Et prima parte, quæst. xli, artic. ii, in argumento secundo objicit sibi hanc auctoritatem intendens probare, quod Filius sit genitus voluntate, quia Apostolus dixit: *In regnum Filii dilectionis suæ*, et respondet: « Ad secundum dicendum, quod Apostolus nominat Christum Filium dilectionis Dei in quantum est a Deo superabundanter dilectus, non quod sit genitus voluntate. »

XXXIX. Ultimo arguitur: Christus fuit prædestinatus in quantum homo, ut docet D. Thomas quæstione sequenti; sed prædestinatio est actio libera, et gratiosa; ergo in quantum homo potest terminare actionem liberam, et gratiosam Dei; ergo potest terminare actionem adoptivam, et gratiosam.

XL. Confirmatur: Christus in quantum homo fuit fidejussor, et accepit obligationem satisfaciendi pro nobis Deo; ergo potest esse filius adoptivus Dei. Patet consequentia: Non requiritur major distinctio inter fidejussorem et creditorem, quam inter adoptantem et adopta-

tum, nec major subjectio, et inferioritas; ergo si ratione humanitatis datur distinctio, subjectio, et inferioritas in Christo respectu Dei, ut satisfactor, dabitur etiam quæ sufficiat ut sit filius adoptivus.

XLI. Respondetur, quod (ut in quæstione sequenti dicemus) Christus non fuit prædestinatus ad filiationem adoptivam, sicut alii homines, sed ad filiationem naturalem, et ideo hæc prædestinatio est diversæ rationis a prædestinatione nostra: adoptio vero esset ad filiationem adoptivam, quæ est incompatibilis cum filiatione naturali, et propter hoc non potest terminare hanc actionem liberam, et gratiosam, bene tamen alia in qua nulla incompatibilitas reperitur, ut quæstione sequenti patebit.

XLII. Ad confirmationem respondetur, concedendo antecedens, et negando consequentiam. Ad probationem concedimus, quod ad satisfactionem non requiritur major distinctio, imo minor sufficit, quia sufficit distinctio naturæ, ut explicuimus in materia de incarnatione, et inferioritas naturæ sufficit ad subjectiorem, ut docet D. Thomas supra quæstione xx, articulo primo, ut etiam ibidem explicuimus, et art. ii ibi propter humanitatem docet S. Thomas, quod fuit subjectus sibi ipsi ut Deo, sicut etiam satisfecit sibi ipsi ut Deo, et hoc non sufficit ad adoptionem, quia adoptio terminatur ad suppositum directe. Verum est, quod inter suppositum Christi, et Patris æterni est distinctio realis, et ideo non excluditur adoptio ex defectu distinctionis, sed ex defectu subjectiorem, et inferioritatis, quæ debet esse non solum in natura, sed in persona adoptati, respectu adoptantis, quia non natura, sed persona est quæ adoptatur in filium, et

hæc inferioritas non est inter Personam Christi, et æterni Patris.

## ARTICULUS V.

*Utrum Christus in quantum homo sit servus Dei, et Filius naturalis totius Trinitatis?*

I. Duas difficultates complectitur titulus, quæ ex præcedentibus originantur. Prima est, de servitute Christi: secunda, de filiatione Christi ratione termini, scilicet, respectu cujus dicatur filius naturalis.

## PRIMA DIFFICULTAS.

II. Hanc tetigit D. Thomas hic articulo quarto, argumento tertio sic: « Christus secundum quod homo est servus, sed dignius estesse filium adoptivum, quam servum; ergo multo magis Christus secundum quod homo, est filius adoptivus: » et respondet S. Thomas: « Quod esse creaturam, et etiam servitum, vel subjectio ad Deum non solum respicit personam, sed etiam naturam, quod non potest dici de filiatione, et ideo non est similis ratio. » Differentia consistit, quod servitus respicit naturam, filiatio vero non, sed personam. Quæ doctrina traditur etiam a D. Thoma supra quæstione xx, ubi docet, quod Christus secundum humanam naturam est subjectus Patri, et servus Patris, secundum verba Apostoli ad Philippenses ii, dicentis: *Formam servi accepisse*: et ibidem articulo primo ad primum inquit D. Thomas: « Quod sicut non est simpliciter intelligendum, quod Christus sit creatura, sed solum secundum humanam naturam, sive ponatur ei determinatio, sive non, ut dictum est (scilicet

quæstione xvi, articulo viii) ita etiam non est simpliciter intelligendum, quod Christus sit subjectus Patri, sed solum secundum humanam naturam, etiamsi determinatio non ponatur: » et consequenter prosequitur ibidem ad secundum: « Quamvis non proprie dicatur, quod natura sit domina, vel serva; potest tamen proprie dici, quod quælibet hypostasis, vel persona sit domina, vel serva secundum hanc vel illam naturam, et secundum hoc nihil prohibet Christum dici Patri subjectum, vel servum, secundum hanc naturam. » Ex quibus constat, quod S. Thomas eodem modo loquitur de servitute, ac de ratione creaturæ in Christo, quod utraque convenit illi non simpliciter, sed cum addito ratione naturæ, et cum tali addito expresso, vel intellecto potest verificari, Christum esse servum.

III. Pro cujus majori intelligentia, notandum est, quod servitus multipliciter potest accipi, aut pro servitute peccati, secundum quam dicitur, quod: *Qui peccatum facit, servus est peccati*; aut pro servitute, qua quis alteri est subjectus, et subditus tamquam inferior, et tenetur ejus obedire mandatis: et hæc dupliciter contingit, vel tamquam mancipium, ut si quis in bello sit captus, et in servitatem redactus, vel pecuniis emptus: mancipiorum hujusmodi est servitus coacta: alio modo est servitus sine tali coactione, sicut alii, qui sunt liberi, et serviunt dominis suis, et isti proprie sunt servi, et respectu Dei Christus potest dici servus in hoc sensu.

IV. Sed adhuc in hoc distinguendum est, quod non convenit illi hæc subjectio ratione suppositi, vel personæ, sed solum ratione naturæ, secundum quod dicitur Lucae ii: *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in*